



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Christiana Ancilla Ibera. 15. Decemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Non placent Deo longiores preces peregrinanti animo, & volucris linguâ deproperatæ. Satius est, vel unicam orationem Dominicam attentè recitare, quam effundere copiosum orationum flumen. Meditare singula verba, sacræ hujus orationis, quam Christus ipse composuit. Me felicem! qui quolibet tempore, & loco cum Deo loqui possim. Ah! pudet me, toties Deum orare sine reverentia, sine attentione. Quomodo erit Deus in medio tui, sit tecum, ipse non fuerit? ubi deest ille, qui poscit, quomodo aderit, qui poscitur? Euf.

## S. CHRISTIANA AN- CILLA IBERA.

15. Decemb.

*Gratias agentes semper pro omnibus,  
in nomine Domini nostri JESU  
Christi, Deo Patri. Paul. ad Eph. c. 5.*

**H**ujus quoque Nomen nescimus, credo, quia virtus supra coelos hos evexit. Illud satis constat, vixisse cum rerum Constantinus potiretur, & iberis servitutem serviisse; cæterum præter conditionem servile nihil habuisse, quin ab hac Serua Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ Matronæ gravi morbo afflictum precibus ad Deum fufis valetudini re-

Bb 3

stitue-

stituerat, cum ejus facti rumor ad aures Regi-  
 nae gentis perlatum est tunc itidem graviter  
 forte è morbo decumbentis. Ergo, cum in  
 spem valetudinis & ipsa venisset, deportari  
 servulorum manibus ad Divam nostram vo-  
 luit. Ibi in lectulo servili collocata sanitatem  
 extemplo & vires recepit, quas frustra in re-  
 giis stragulis suspiraverat. Ut verò grata Nu-  
 mini foret, Autor esse conjugii regi coepit, ut  
 Christo se dederet, cui morbi & mors ipsa  
 jam parerent. Iste moris moras necebat, dum  
 intervenandum iratos & caelos & ventos ex-  
 pertus & in ultimum vitae periculum devolu-  
 tus opem Christi praesentem ipse etiam sensit.  
 Tum verò Templum Deo posuit, in quo Di-  
 va haec columnam, cum viribus nullis posset,  
 precibus erexit, suspensamque in aëre tam  
 diu servavit, dum spectantibus omnibus  
 suoapte motu in locum suum desideret. Atque  
 in hoc templo primas Christo iberi aras, pe-  
 ctora sua devoverunt. Gere castum Cor, &  
 Templum Salomoneo praestantius erexisti.

*Ex Socrate & Theodor.*

## M E D I T A T I O.

### *De Ingratitudine.*

1. **D**Ebes Deo gratias agere pro acceptis ab eo be-  
 neficiis, Dic, amabo quot, accepisti? multa  
 cognoscis

cognoscis, plura ignoras. An illi grates retulisti, quòd te creàrit conservarit, redemerit: quòd natus sis ex Christianis parentibus, quòd divitias sanitatem, & ingenium dederit? Deo memorem te præbeas tot gratiarum: Tuus sum Domine, me tibi totum trado.

2. Vitium ingrati animi exsiccat divinorum beneficiorum fontem; Deus gloriam suam magis amat, quàm, qui eam alteri daturus sit: eam furaris gloriam, cum ipsi gratias non agis, eumque cogis, ut nova tibi deneget beneficia. Ah Domine! in adversis, ut in prosperis te laudabo; omnia quæ mihi contingunt, excepto peccato, argumenta sunt tui in me amoris. O cæcus! O ingratus hominum animus. Pro naturæ bonis, & quidem saluti sæpè noxiis, Deo grates rependimus. *Discamus non solum in prosperis, sed etiam in adversis gratias agere.* Greg.

3. Triplex est ad imum hujus vitii gradus. 1. Oblivisci beneficiorum 2. Malum pro bono reddere. 3. Uti beneficiis in contumeliam benefactoris. Quoties naturæ dotibus usus es ad offendendum Dominum? si Deum obliviscaris beneficientem, senties corripientem. *Sciatis, hanc esse ira Dei censuram, ut qui beneficium non intelligitur, plagis intelligatur.* Cyprian.

**S. A D O Episcopus.**

16. Decemb.

*Memor esto itaque, unde excideris:  
Et age pœnitentiam, Et prima o-  
pera fac. Apoc. c. 2,*